

rima apud eos, qui Theologiam cum Philosophiâ conjunxerunt. Martyres dico, Sadeeles & Zanchios, de quibus, majorisne Theologian Philosophi fuerint, jure dubitaveris. Venio ad Theologiam Analyticam; quâ Biblia V. & N. T. resolvuntur. In eâ nullus eris ni doctus sis Logicam, & alias artes vel infra mediocritatem. Occurrunt in sacris literis termini Metaphysici, ut *ov*, *Apoc. i. v. 4. & 8.* quò refer nomina illa Dei *Jehovah & Ehejeh: r* Bonum, *Genes. i.* Occurrunt Physici in libris Mosis, in libro Job, in Psalmis. Occurrunt Geographici; ut, paradisus, itinera patriarcharum, topographiæ, itinera Apostolorum: occurrunt Astronomici; ut, Orion, Arcturus, Pleiades: occurrunt Chronologici. Vide in hanc sententiam *Picum Comitem in heptaplo. Bened. Aria Montani Josephum, Jeremiam, Daniele & Nehemiam in opere regio. Flac. Illyr. clav. script. part. 2. Lemnii similitud. Keck. l. 4. præcogn. Philosoph. c. 4.*

Q U Æ S T I O V.

Quanam sit vera Philosophiæ definitio?

Collectiva perfectè definiri non posse docent Logici. Philosophia autem est collectivum: *Keckerm. in syst. & Gymnas. Logico.* Perfecta itaq; ejus definitio (Græcis dicitur ἀποφαισις) dari non potest. Datur autem imperfecta, quam Logici vocant ἐννοιατικὴν, Latini descriptivam & simpliciter descriptionem. Describi autem debet Philosophia, non subjectivè & concretè considerata, quatenus est in hoc vel illo subjecto (ita enim in omnibus & inter omnes variat) sed formaliter, in se, abstractè, quatenus est extra subjectum. Et hoc posteriori modo est vel archetypa, vel ectypa. Archetypa est, quæ est habitus in mente. Ectypa est, quæ est systema præceptis methodicis adornatum. Et utraque accipitur, vel latissimè, vel strictè. Latissimè Philosophia est omnium rerum scien-

tia; uti accipit *Cicero l. 2. off.* Strictè Philosophia distinguitur contra Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, & hoc modo est; I. habitus scientiâ, prudentiâ & arte constans. *Jac. Mart. lib. 1. exerc. Metaph. exerc. 1. theor. 1.* II. Compages scientiarum, prudentiarum & artium. Has duas Philosophiæ descriptiones retinendas putamus: quarum illa loquitur de archetypâ seu habituali, hæc de ectypâ seu systematicâ philosophiâ. Confer *Fonssec. in 2. Metaph. c. 3. q. 3. sect. 2. Casm. l. 1. Philosoph. Christ. c. 1.*

Q U Æ S T I O VI.

Quenam sit vera Philosophiæ divisio?

ENcyclopædia Philosophica sive cyclus liberalium disciplinarum, variis constat partibus integralibus, quas hoc ordine recensemus. Philosophia est θεωρητική, contemplativa, πρακτική, activa, & ποιητική, factiva. Theoretica sub se habet unicam sapientiam; videlicet *Metaphysicam* & undecim scientias, quæ sunt: 1. *Physica generalis.* 2. *Somatologia.* 3. *Pneumatica.* 4. *Mathematica generalis.* 5. *Arithmetica.* 6. *Geometria.* 7. *Cosmographia.* 8. *Astronomia.* 9. *Geographia.* 10. *Optica.* 11. *Musica.* Practicæ disciplinæ vocantur prudentiæ. Suntq; numero quinque; 1. *Ethica.* 2. *Oeconomica.* 3. *Politica.* 4. *Scholastica.* 5. *Historica.* Poëticæ disciplinæ vocantur artes, strictè sumpto vocabulo, suntq; septem: 1. *Mnemonicæ.* 2. *Lexica.* 3. *Grammatica.* 4. *Rhetorica.* 5. *Logica.* 6. *Oratoria.* 7. *Poëtica.* Sunt itaque, nisi me calculus fallit, disciplinæ Philosophicæ 24. quibus si adjeceris quatuor Philosophiæ præcognita, quæ sunt *Archologia, Hexilogia, Technologia, & Canonica*, ritè compleveris theatrum Philosophicum xxviii. ut ita dicam, cellulis. Alias Philosophiæ divisiones tibi suppeditabunt *Bernh. Copius Jct. in partit. & offic. Ciceronis. Jandun. in proem. de anim. Fonssec. in 2. Metaph.*